

ne, tum ex aliis maxime sublimibus indicis, multis demonstra-  
ri posset, nisi tractationem nostram alia desiderarent.

42. Hinc etiam plures proprietates minime nunc addu-  
cere volumus, quarum plures, & satis illustres, in promptu fo-  
rent, nisi præter opinionem tractatio præsens jam excrevisset,  
e. g. *Dignitas & Eminentia, Perspicuitas, vel Evidentia, nim. ra-  
tione verbi, seu fidei, vel etiam hominis spiritualis, obscuritas, rati-  
one nostri, vel intellectus corrupti, vel hominis animalis, perfectio,  
sufficientia, sensibilitas, quoad externum actum, credibilitas, quo-  
ad internum statum, fructum &c.* Sed hæc, & alia, si majori nu-  
mero producere, copiosiori studio, prout fas esset, exponere  
vellemus, intra *Disputationis* brevioris limites consistere non  
possemus.

43. Neque *circumstantias* omnes sive *textuales*, sive *rea-  
les*, hic iusta mensura persequilicet. Nam si *circumstantias*  
hic *textuales*, quoad *Antecedentia, Concomitantia, Consequen-  
tia*, nunc ordine producere, vel paucis saltem exponere velle-  
mus, prolixæ tractationis campus se rursus nobis offerret. Si  
præterea *reales circumstantias*, in *mysteriorum multitudine, ma-  
gnitudine, celsitudine*, piis meditationibus subicere nunc inte-  
grum foret, amplissima *dicendorum materia* pariter adesset, sed  
hæc vel aliis relinqvimus, vel alii tempori committimus, vel  
occasionibus aliis remittimus, adeoque de præcipuis etiam *circu-  
mstantiis*, quod *certo tempore*, nim. 30. ætatis anno *Luc. III.  
23. in certo fluvio*, nim. *Jordane*, in *certo loco*, nim. *Bethabare*,  
*certo modo, certo actu*, baptismum Christi suscipere voluerit, quæ  
certe copiosam tractationem afferre possent, nihil addimus.

### CAPUT. III.

#### *Quoad Analysin Homiletico-Rhetoricam.*

1. **H**ÆC *Analysis* potissimum usum, eumque *Præcticum* respici-  
t, *Ecclesiarum Pastoribus* destinatum. *Orator* *Oratorum*  
G Christi